



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1176. Usque Ad Annum 1203

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1763

VD18 90118022

§. 50. Rex Angliæ juvenis moritur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66394](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66394)

Sæcul. XII.
A.C. 1183.

§. L.

Rex Angliæ juvenis moritur.

Id. sp. 620.

Hoc etiam anno Henricus juvenis Rex Angliæ ante diem morti occubuit. Is in Lemovicensi Regione arma patri inferens, & sæpe perjuriis ac promissis fallacibus eidem insidiatus, tandem animi ægritudine, quod pessimis suis consiliis deesset fortuna, ad corpus transeunte, Martelli in Regione Cadurcensi gravi morbo corripitur. Sentiens se moriturum, ministrorum aliquem ad patrem misit, qui, filio non fidens, venturum se negavit. Ægrotus Episcopis ceterisque Clericis, qui forte proximi erant, convocatis, peccata sua primum secreto & deinde publice confessus est. Tum, Absolutione accepta, Guilielmo Mareschallo amico suo Crucem, quam Hierosolymanam peregrinaturus gesserat, tradidit, addens mandatum, ut votum a se editum ipse impleret. Mox detractis sibi Regiis vestibus, cilicium indutus, alligato ad colulum fune, ad Episcopos Clericosque conversus, *nunc vero, ait, me, indignum peccatorem, vobis, Dei ministris, totum committo, oroque Dominum Nostrum Jesum Christum, qui latroni in Cruce pendenti ignovit, ut intercedentibus precibus vestris, & infinita ejus misericordia, infelici animæ meæ parcat.* Omnibus

bus respondentibus: *Amen*, adjecit: *hoc Sæcul. XII.*
funè trahite me ex lecto & super cinerem A. C. 1183.
in terram sparsum sternite. Quod cum
 fecissent, duosque eximiæ magnitudinis
 lapides quadratos, alterum capiti alte-
 rum pedibus admovissent, Viatico refi-
 citur, & paulo post extinguitur, in Fe-
 sto S. Barnabæ, die undecima Junii, an- *Chro. Vo-*
 no salutis humanæ millesimo centesimo *siens. p. 290.*
 octogesimo tertio, ætatis suæ vigesimo
 octavo. Corpus defuncti, ut jufferat,
 Rotomagi in Ecclesia Dominæ nostræ
 conditum.

§. LI.

Andronicus Imperator Constantino-
poli.

Constantinopoli Andronicus, in quo
 tota Imperii sita erat auctoritas, nu-
 ptias Irenis filix suæ nothæ cum Alexio
 Manuelis Imperatoris, vita functi, filio,
 itidem spurio, moliebatur, etsi tam spon-
 sus quam sponsa ex incesta parentum,
 sanguinis affinitate junctorum, libidine *Nicet. Alex.*
 orti essent. Dicebat enim Andronicus *n. 15. p. 168.*
 inter sponsum sponsamve stupro natam
 cognationis impedimentum non dari,
 quam sententiam Concilii senatusque
 judicio stabiliri jussit. Verum Theo-
 dosius Patriarcha nefandum conjugium
 constanter damnavit, Andronici conati-
 bus

K 5

bus